Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26104
Copyright: Admont, Benediktinerstift

13

coronam capite gestabat, et confusionis obprobria metuebat. Nonne
tu imperator? Nonne gladii potestatem habes? Habeo inquit, sed consci-
entiam peccati mei timeo formidinis materiam. O ignominiae accusa-
trix, peccatum quod putabam latere manifestum est. Timeo, formido,
quoniam confudisti me et ream fecisti. Si uenerit uir meus inquit quid dicam?
quid loquar? Inueniet me grauidam et occidet me, accusatorem cla-
mantem. Naufragium perpetratum perspicis iam karissime quale sit, et quantum
mali peccatum. Quid ergo rex? pudoris excogitato consilio, peccatis adicit
peccatum, et iniquitatem scelere uult celare. Oportet enim dilatare
sermonem. In tempore namque illo ioab dux exercitus dauid in procinctu
prelii aduersus populum ammonitarum a rege fuerat directus, cum quo etiam
urias perrexerat. Scribit ergo rex ut ad se ueniret urias et diceret
ordinationem belli, ut sub hac occasione crimen celaret admissum.
Venit urias de castris et intrauit ad regem, interrogatque de appariti-
one belli, respondit omnia prospera esse et uictoriam paratam esse. Audiuit
rex quod miles uicerat, et dolet quod ipse sit uictus. Miles aduersarios
subdidit, et rex a libidinis concupiscentia superatur. Miles inimicum
prostrauit, et rex a peccato superatur. Miles uictoriam annunciat, et rex
pre confusione sua peccatum timet confiteri. Uicimus inquit et superauimus.
Stupebat rex et pre confusione peccati pugne uictoriam non sentiebat, eo quod
ipse sit uictus. Vide itaque clementiam dei, quomodo immutat consilia hominum,
qui in malis suis celare cupiunt quod admittunt. Dicit militi. Vade in
domum tuam et laua pedes tuos et requiesce paulisper, quia de uia uenisti.
Propter quam causam o dauid sollicitus es? Dic mihi. Ille enim nesciebat ad domum
suam pergere, aut lauare de itinere non consueuerat pedes. Ob hoc inquit
plenum pietatis do consilium si potero, quo pacto obumbrem sceleris